



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1544

VD16 C 4410

De Expeditione Ostrogothorum contra Odoacrem. Caput III.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8

esse, ut aut Ostrogothi ab Herulis uicti deleantur, atq; ita
liberetur ab onere stipendiij Imperator, aut uictores obrine
ant Italiam, deletisq; Herulis Imperij hostibus, amici Impe-
rio sine stipendijs existant. Quis uero credat, hunc regē
tam infido, & alieno in gentē suam animo fuisse, ut uel ac-
cusauerit eam Imperatori, uel in id periculi eam adducere
uoluerit, ut deleta ab hostibus, ab Imperatore stipendium
amplius petere aut accipere non possit. Sed neq; opus erat
à Zenone Italiam petere, quam hostis habebat. Zeno autē
habet nunq̄, neq; ullus Regum aut Principum antea pe-
tuerat ab Imperatore Constantinopolitano Italiæ aut Ro-
mę possessionē. Quandoquidē non à Constantinopoli, sed
à Roma ius & dignitas Ro. Imperij rectius agnoscuntur.

Procopius
de bello Go-
thico lib. i.

Confirmant hanc meam sententiā uerba Procopij, His-
torici Græci, qui Theoderici temporibus uixit. Sic enim
ait. Sed Imperator Zenon, qui optime presentia dispo-
re callebat, Theodericum ut Italiā peteret, monet, ut Odo-
acro Tyranno in potestatem redacto, Hesperia Principa-
tum sibi Gothisq; pararet. Illi id longe plurimum cōductu-
rum affirmans, q̄ secum, ut Imperatore, inconsideratus
uelit armis decernere, ac tantum inire dubiæ belli fortunæ
discrimen.

DE EXPEDITIONE

Ostrogothorum contra Odo-
acrem. Caput III.

Difficilis in
Italiam ex
Moesia ex-
peditio.

ANno igitur Dñice Incarnationis CCCCLXXX.
Rex Theodericus à Constantinopoli domum ad su-
os reuersus, iussit omnes Gothos ad Italicam sese prepara-
re expeditionē. Quæ profecto res merito potuisset fractis
& mol-

& mollibus animis dura uideri. Regale enim Edictum nō solum uiros fortes & expeditos milites, uerum etiā mulieres & paruulos iussit educi ē natali solo cum omni supellectile et domestica substantia, & quidem in terram longinquam, quæ hinc Alpium iugis, inde mari gemino, Adriatico scilicet atq; Tyrrheno undiq; septa, difficilem admitterat aditum, non solum, quod clausa & munita erat à rerū natura montibus & mari, uerum etiā quod bellicosa gens Herulorum sub fortissimo Duce Odoacre eam tenebat, et iter permultas prouincias intermedias nō foret pacatum. Quoniam Odoacer, qui iam rescuerat (forsitan ex Aula Zenonis aut à uicinis Barbaris præmonitus) Theodericum contra se parare bellum, Bulgaros ac Gepidas ad resistendum Ostrogothis sollicitabat.

Sed gens ferox & malis inuicta, tantum habuit fiduciae in dextris suis, tum in Regis sui uirtute & alacritate, ut certam sibi polliceretur de quibuscumq; hostibus uictoriam. Vnde factum est, ut neminem ex uniuersis (quod dictu mirum est) Gothis neq; patriæ amor aut dulcedo retinere, neq; periculorū magnitudo deterrere potuerit, quantumuis fertile esset solum & Moesie & Pannoniæ, atq; etiā quæta & pacifica omnium rerum possessio, et certū quotannis ab Imperatore Constantinopolitano stipendium.

Certe neq; stultus neq; infans erat rex Theodericus, ut non intelligeret aut non secum perpenderet, quātum laboris aut periculi ea expeditione aditurus esset, ac quā uberes atq; pacatas terras ultro relinqueret, Quem iam pridem ante annos Quatuor Consulem Zeno propter prudentiā & animi uirtutem Constantinopoli fecerat, sed tam fortis ac magnanimus erat, ut existimaret, se à maiorū suorum uirtute degenerare, si ullo frangeretur aut emollesceret animus ei? uel laboris tedio uel periculi metu, iuxta illud Poes

Cc ij tā

Alacritas et
fiducia Os
strogotho
rum.

Magnanimo
Rex
Theode.

ca. Degeneres animos timor arguit. Valde quidem fortes ac magnanimi Reges fuerunt, Cyrus Persarum & Alexāder Macedonum, Neuter tamen tam difficilem expeditionem unquam suscepit. Profecti quidem sunt ambo magnis cum exercitibus in longinquas terras atq; etiam contra potentes & bellicosas gentes, sed minime adduxerunt secum talia ac tanta impedimenta, qualia et quanta secum adduxit Rex Theodericus.

Qualia & quāta secū in exercitu adduxit Impedimenta Rex Theo.

Alij exercituum Duces inter impedimenta referunt lixas atq; Calones & oneraria lumēta, quibus nihilominus ad multa diuersorum laborum munia utuntur. At dux iste noster inter sui exercitus impedimenta habuit innumerā imbellis multitudinis turbam, senes, paruulos, mulieres, uirgines. Quibus ad militares labores nemo commode aut honeste uti poterat. Oues insuper & boues non solum in cibum militum, sed etiam in lactis alimoniam pro paruulis. Domesticam praeterea suppellectilem, quae ad usum armorum nihil ualebat. Merito igitur difficilissima iudicari potest ista Regis Theoderici expeditio.

Exitus filiorū Israel de Aegypto.

Plures quidem mortales ex Aegypto eduxit Moyses, propheta Dei, sed fecit hoc iussu ipsius Dei, magnis confirmatus ad hoc faciendū miraculis, et eduxit nōliberos & florentes, sed grauissima pressos seruitute & oibus Aegyptiorū uexationibus afflictos, Multis praeterea in profectioe releuatus Dei consolationibus & praesidijs, mari siccū iter praebente fugiētibus & hostes ad unū oēs dimergente, caelo com meatum praestante, & uiam ostendente nunc per nubis interdū, nūc per ignis columnam in nocte. Rex autem Theodericus eduxit suos, non Dei aut ullius prophetae, sed ferocis dumtaxat & pericula contemnentis populi iussu, nec alijs sifus uel praesidijs uel auxilijs, quam suorum dextris

dextris & uirtuti suæ. Nec puto breuiorem esse distantiam Moesiæ ab Italia, quam est Aegypti a Iudæa.

Probrino itaque & Eusebio Consulibus, egressus cum tota gente sua Rex Theodericus è patria, mox occurrentes reperit hostes, eosq; minime fugaces aut imbelles, qui conabantur iter eius, siue per inuidiam, siue in Odoacris gratiam prohibere. Primum quidem Rex Gepidarum (quem Blondus & Sabellicus Strapiliam, Paulus Diaconus Trafillam uocat), successor Arderici Regis: qui Gepidas a filiorum Attilæ subiectione in libertatē prælijs asseruerat, sicut Ostrogothos Valamir Patruus & Theodemirus pater Theoderici: subito ex insidijs Theodericum adortus, magnam utique stragem fecisset, nisi præsentis & intrepido ad quæuis pericula animo se mox opposuisset Rex Theodericus, qui sic repressit illius impetum, ut non solum retrocedere coegerit, sed etiam extinxerit ipsum, sicut affirmat Paulus Diaconus.

Prima uis
etoria de re
ge Gepidas
rum.

Deinde irruerunt in eum Danubijs accolæ Bulgari, gens ferox & barbara, cum rege suo Busari, quem Paulus Diaconus Busam uocat, quos non absque cruentis a se repulit prælijs. Cumque post multos labores & ærumnas longi itineris, per terras alienas & impacatas, atq; post multa præliorum pericula, tanta cum multitudine gentis suæ (cuius numerosior pars imbelles erant senes, pueri, & paruuli, atque altera pars humani generis sexus muliebri) quæ non leues in quotidianum uictum & comæatum atque in pabulum pro iumentis, armentis & pecoribus sumptus requirebat, ad mare Ionium (quod ego sinum Adriaticum hic intellexerim) tandem peruenisset, ut asserit Procopius, nullas ibi paratas ad trañciendum exercitum, naues reperire potuit.

Secunda de
Bulgaris.

Necessa

Necessarium igitur fuit, circuire Ionicū sinum per Talan-
tiorum (ut uocat Procopius) aliarumq; finitimarū natio-
num agrum, usq; ad Sontium flumen, quod non longe ab
Aquiligia (ut ait P. Diac.) labitur. Quo cum peruenisset,
castra ibi metatus est, ut uberrimis, quę eo in loco habētur,
pascuis, fatigata ex itineris longitudine iumenta reficeret.

Bellicosus Cum autem Odoacer interim totū Theoderici iter ex-
Rex Odoac-ploratum haberet, collectis undiq; ex tota Italia uiribus, ad
cer. Sontium illi occurrit. Ne quis autem existimet, inualidum
aut contemptibilem fuisse hostem Odoacrem, qui facile
superari potuerit, operæ precium esse uidetur, referre hic ex
aliorum testimonijs, quis qualis & quantus uir ille fuerit.
Procopius de hoc ab aliorum sententia diuersus est, Ait eū
fuisse Orestis quondam armigerū, qui Gothis omnia pro
iporum arbitrio executurum se obtulerit, si cum Romano
rum Principem constituerent. Sed magis placet aliorum
mihisententia, qui fere omnes unō consensu affirmant, eū
Herulorum & Turcilingorum ducem fuisse. Cassiodorus
in libello de Consulibus sic habet Basilisco II. & Armato
C O S S, ab Odonacre Orestes & frater eius Paul⁹ extinz
cti sunt, nomenq; Regis Odonacer adsumpsit, Cū tamen
nec purpura, nec regalibus uteretur insignibus. Plura de
hoc refert Paulus Diaconus, In hęc uerba. Hęc dum apud
Romanos geruntur, Odoacer cum fortissima Herulorum
multitudine, fretus insuper Turcilingorum, siue Scyrorū
auxilijs, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare
contendit.

Verba Se- Qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duces
uerini solita ret, cognita Seuerini fama Christi Domini serui, Qui illis
rij ad Odo-tunc degebat in locis, ad eum, ut sibi benedictionem petis-
crem in No-turus accessit. Qui dū benedictione percepta, ab eius egre-
rico, di cellula uellet, & caput, ne superliminari hostij, eo quod
proceræ

proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset, à Dei uiro futu-
rorū præscio, mox talia audiuit. Vade nunc ad Italiam, ua-
de de Odoacer, uilissimis interim animantium pellibus indu-
tus, multis cito plura largiturus. Hæc ille uerba rerum exi-
tu comprobauit. Nam aliquantis postmodum annis, toti-
us Italiae, Insuper & urbis usus est potestate.

Ingresso itaq; Italiam Odoacre, statim ei apud Liguriæ ^{Victoria}
terminos, Orestes patricius occurrit, qui aduersus fortissi- ^{Odoacris}
mam multitudinem, nihil se præualere conspiciens, maxi- ^{de Oreste.}
me cum eum iam quidam suorum deseruissent, metu tre-
pidus intra Ticinum se munitionis fiducia cõclusit. Mox
adueniens cum exercitu Odoacer, expugnatã fortiter in-
greditur ciuitatem. Vastantur uniuersa rapinis, sæuit ubiq;
gladius, Diuina quoq; priuataque ædificia ignis absumit.
Captus demum Orestes ab hostibus, Placentiam usq; per-
ducitur, ibiq; gladio detrucatur. Exinde per uniuersas ijdẽ
Barbari urbes diffusis, cunctam sine aliqua tarditate Italiam
iuri proprio subdidere, multasq; tunc ciuitates parantes re-
sistere, extinctis habitatoribus ad solũ usq; defecere. Odo-
acer itaq; prosperos sibi cernens successus accrescere, statim
Regiam arripuit potestatem, Hæc Diaconus. Herman-
nus uero Contractus breuius atq; etiã luculentius in Chro-
nico suo sic ait. Odoacer Rex Turtilingorum & Rugorũ
cum multis Barbarorum auxilijs Italiam ueniens, Orestẽ
& Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnauit,
et Romã obtinuit, anno à cõditione ei⁹ M. CC. XXIX.

Fit & in Gratiani decretis magna de ipso mētio, quæ
ex Concilio symmachi Papæ recitatur, In hæc uerba. Cum
in Mausoleo, quod est apud B. Paulum Apostolum, resi-
deret sublimis et eminentissimus uir, Prefectus prætorio atq;
Patricius, agens etiam uices Præcellētissimi Regis Odo-
acris, Basilus dixit. Quanquam studij uestri & religionis
Dd interit

In Decretis
dist. 96.
cap. Bene.

interfit, ut in Episcopatus electione cōcordia principaliter
seruetur Ecclesiæ. Ne tamen per electionis occasionē, sta-
tus ciuitatis reuocetur in dubiū, ammonitione Beatissimi
uiri, Papæ nostri, Symmachi Simplicij, quem ante oculos
semper habere debemus, hoc nobis sub obrestatione memi-
nistis fuisse mandatum, Vt propter illum strepitum, & Ve-
nerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire
contigerit, non sine nostra cōsultatione, cuiuslibet celebretur
electio. Hęc ibi. Ex quibus cognoscere licet, sub Odoacre
quoque antiquam Reipub. formam nō penitus extin-
ctam aut in barbariē demutatam fuisse. Nomē autē Sym-
machus, hic duobus Pontificibus datur. Vni ex his, nempe
Simplicio, agnomen est, qui & prior sedit in Episcopatu;
alteri propriū est nomen, qui postea sub rege Theoderico,
Odoacre iam occiso, factus fuit Pontifex.

Otto Frisingē
gē. li. 4. c. 50

Anno autē primo Simplicij obtinuit Italię regnū Odoacer,
De quo et Otto Frisingēsis Episcopus eadē fere refert,
quæ Paulus Diaconus, Cuius tamen hæc uerba super ad-
dere hic libet. Odoacer, inquit, natione Rhugus, ex ultis-
mis Pannoniæ finibus, cum Seyris, Turcelingis, Herulis
ad inuasionem Italiæ procinctum mouet. Cæterum Vene-
rabilis Beda in suo de temporibus libro, Procopium secus-
tus, dicit Odoacrem Gothum fuisse, addit autem nonnul-
la, in quibus non solum à reliquis supradictis authoribus,
uerum etiā à Procopio dissentire uidentur. Sic enim habet.
Odoacer Rex Gothorum, Romam obtinuit, quam ex eo
tempore diutius eorum reges tenuere. Mortuo Theoderico
Triarū filio, alius Theodericus, cognomēto Valamer,
Gothorū suscepit regnū, qui utramq; Macedoniam The-
saloniamq; depopulatus est, & plurima regiæ Ciuitatis lo-
ca igne succendens, Italiam quoque infestus occupauit.
Hęc Beda.

Beda duos
cōmemorat
Theodericos.

Cui in

Cui in hoc, quod Duos ponit Theodericos, consentit Pau. Diaconus, qui utrūq; in Italiam uenisse testatur. De priore enim sic habet. Haud procul ab his tēporibus (hoc est Nepotis & Augustuli) Theodericus cognomēto Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorum multitudine, usq; ad Quartum Urbis miliarium armatus aduenit, nulli tamen Romanorum noxius, cōtinuoq; ad Illyricum reuersus, extinctus est. De posteriore autē (de quo nos hic agimus) multa refert, sicut & alij pleriq; historici, E quibus tamen nullū scio ea de hoc Theoderico nostro scribere, quæ Beda scripsit, nempe quod Macedoniā Thessaliāq; & regiae urbis loca depopulatus fuerit.

Cæterum Odoacrem fuisse uirū fortem & bello strenuum, res gestę plane demonstrant, quas hic ex Antonio Sabellico recitare libet, quātum satis est. Obiecit (inquit) Augustulus Odoacri uenienti Orestem patrem suum cū exercitu. Is cum Romanis Legionibus & accuratissimo Italiae delectu, circa Laudam Pompeij, in Barbarorum conspectu fecit castra. Inde ad pugnam prouocatus, cū aciem instrueret, subita Italorum defectione prelio abstinuit. Presentibus itaque uiribus diffusus, cum Romanis Legionibus Ticinum contendit. Hic barbarus abeuntem allectus in urbem compellit, compulsū obsidione fatigat. Inde Ticinum uī captum diripit & incendit, Cæduntur Romanę Legionēs, estq; tantū uno loco Romanī cruoris fufum, quantū non alibi iā inde, ex quo Romanū inclinare coepit Imperiū, Odoacer Orestem Placentiā perductū, spectante exercitu propria manu interfecit. Et infra.

Herulus, ait, post Ticinēsem uictoriā Italia magis dedita q̄ ui capta Romā petijt, frequēs ciuitas p̄cessit illi obuiā, regēq; salutauit. Per faustas inde acclamationēs & honores exquisitissios Capitolium ascendit, tenuit in Odoacer ānos. 14.

Dd ij Italiam

Res gestę
Odoacris.

Odoacer
Romę honorifice
sceptus.

Italia in satis pacate, cessitq; interim Regi & Herulis ex an-
 nis prouerbibus pars Tertia frugum omnium, adeoq; per
 hæc uetus illa Romanorum Italicisq; nominis indoles con-
 cidit, ut Odoacer ab Herulis, qui in patrio solo remanes-
 rant, accersitus, quod à Felteo Rugorū rege Danubij a cœ-
 la, perpetuo incesseretur bello, nihil de urbe Roma aut Ita-
 lia sollicitus, exercitum dux erit in Felteum, hosteq; inter-
 fectio, tam ociose sit in Italiam reuersus, quam olim Roma-
 ni Duces clarissimam aliquā uictoriam adepti cōsueuere.
 Hæc Sabellicus. Addit Palmerius in Chronicis suis, eum
 maxima cum præda atq; ingenti captiuorū numero in Ita-
 liam rediisse. Cassiodorus insuper ait, eum sub Consulatu
 Placidi, in Dalmatijs Odiuam (Contractus Odiciam uo-
 cat) uicisse ac peremisse. Quod factū esse affirmat in Quin-
 to eius in Italia regno. Idem uero Cōtractus addit, Odoac-
 rem, Phœbam regem Rugorum uicisse atq; cepisse.

DE CONFLICTIBVS

Theoderici cum Odoacre. Cap. V.

Non paruo igitur periculo nec modico labore uicit tã
 bellicosum & potentem Regem in regno ipsius rex
 Theodericus, cum quo toties & tam cruentis prælijs con-
 stitgendum fuit. Quatuor enim prælia enumerat breuiter in
 supradicto de Consulibus libello Cassiodorus. In hæc sane
 uerba. Probindo & Eusebio Consulibus, foelicissimus atq;
 fortissimus D. N. Rex Theodericus intrauit Italiam, cui
 Odonacer ad Sontium pugnam parans, uictus cum tota
 gente, fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veror-
 nae uincitur Odonacer. Altero autem anno, Fausto Cons-
 sule, ad Ducam fluium Odonacrem D. N. Theodericus
 Rex.

Breuis Præ-
 liorū cū O-
 doacre com-
 missorū Ca-
 talogus ex
 Cassiodoro